



BASILIVS Macedo, qui Michaëlem occiderat, eiusdem imperium occupavit Constantinopolitanum, anno mundi 4831. à Christo nato 869. Hic in pueritia captivus inter venales Constantinopolim adductus fuerat: præfuit tamen, & eo rerum successu, ut ad eius nepotes imperij maiestas transferit. Adepto imperio, Michaëlis largitiones ita revocavit, ut dimidium eorum quæ quisque acceperat, ærario inferret. Treis liberos imperij hæredes instituit: deinde plurima cum Saracenis gessit bella, victoria plerunque potitus: multos Iudæos ac Scythas ad Christum perduxit. Anno imperij 17. à ceruo in venatione cornu ictus, mox periit, vir frugi, & quem principem non contempnas. Vide Liut. lib. 1. Egna. lib. 2. Cosmog. Mun. lib. 4.

LEO Basilij filius, huius nominis Imperator sextus, Cōstantinopoli imperat anno mundi 4848. à Christo nato 886. Bulgarios desciscentes, Turcarum auxilio primò vicit: postea ab his per inanes inducias delusus, magna ipse clade affectus est: inde in Saracenos classe comparata, Nicetæ ductu insignem adeptus est victoriam. Philosophus fuit, literarum omnium, Astrologiæ in primis studiosus, quæ etiam filium Cōstantinum imperaturum prædixit, ac diuinavit: in rep. moderanda, ac vrbe custodienda sollicitum ac solertem se præstitit: huius providentiam ac vigilantiam pro Reipub. salute, describit Liuthprandus, qui à Basilio Imperatore ad Nicephorum Phocam, historiam rerum per Europam cōscripsit. Hic Leo ut vigilum siue custodiarum vrbis fidem experiretur, noctu solus è regia mutato habitu sese proripuit: à primis custodibus numerata se liberat pecunia, ab aliis verò, pugnis, flagrisque cæsus, in carcerem truditur: hos postea muneribus donat, illos autem bonis exutos expellit. Vide ut supra.